

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Conuersacio ae  
cum fonte primo

Disciplinam honeste conuersacionis  
in suo cibo debet quis obseruare, uidelicet  
quid,  
quantum,  
quomodo cibum sumere debeat.  
Quid ut scilicet  
non nimis preciosa et delicata expetat,  
nec nimis rara et insolita requirat,  
nec nimis accurate et laute preparata concupiscat.  
In primo luxus arguitur,  
in secundo curiositas ostenditur,  
in tertio supersiticio notatur.

Hugo ibidem (de disciplina monachorum).

Sequitur etiam triplex observatio disciplinae  
in cibo,  
observatio in eo quid sumat,  
observatio in eo quantum sumat,  
observatio in eo quomodo sumat.  
Observatio in eo quid sumat, id est ut  
neque nimis pretiosa et delicata expetat,  
nec nimis rara et insolita requirat,  
nec nimis laute et accurate praeparata concupiscat.  
In primo enim luxus arguitur,  
in secundo curiositas,  
in tertio supersticio notatur.

Hugo de sancto Victore, *De institutione nouitiorum*, 19 (PL 176, col.950A).